Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

Sectio 3tia

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

reus blasphemiae in foro Dei, si adfuit vel tantum indi-
recta quam directa intentio inhonorandi Deum. In
foro externo praesumeris fuisse eo sensu locutus,
quem verba ex communi usu suae patriae induunt.
In dubio, si non sis infamis a libidine blasphe-
mandi, praesumeris non blasphemasse, iuxta illud
axioma: Non datur facile praesumptio delicti.
Omnes blasphemiae in Deum et Sanctos sunt eius-
dem speciei: recte igitur tantum in Confessione exprimun-
tur aut a Confessariis inquiruntur; quia mali-
tia blasphemiae saepe addit aliam circumstan-
tiam morali mala, quae non sufficienter aperitur prae-
cise confitendo blasphemiam, ut quando habet
adiunctum peccatum haereseos formale, odium ex-
pressum Dei vel Sancti, maledictionem seriam
aut imprecationem. Blasphemia porro crimen est mix-
ti fori, ideoque tam per ecclesiasticum Iudicem quam saecularem
punitur.
Hic tractant nonnulli de Sacrilegio et Simonia,
quam materiam nos commodius ad praeceptum 7. differimus.

Sectio 3.tia

Praeceptum Decalogi tertium. Memento ut diem Sabbathi Sanctifices

Quia hoc praeceptum affirmativum est et negativum: ut
affirmativum praecipit primo cultum unius Dei, qui modo
ex traditione Apostolica est Dominica. Secundo ut dies ille

motu aliquo et opere positivo seu potius Deum illo die colatur et honoretur. Ut negativo prohibet opera servilia de quibus nunc agendum.

§. 1.

de Audienda Missa.

Conclusio 1. Ut quis praecepto audiendi Missam in Dominica satisfaciat, requiritur assistentia moralis et religiosa, attentio, et integritas. Explico: Assistentia moralis dicitur, qua quis uno et morali actu censetur esse praesens sacrificio Missae vel intra Ecclesiam, vel in proximo loco ex quo immediate moraliter possit videre, audire vel aliquo sensu advertere ad ea, quae sacerdos agit, nisi infirmitate potentiarum impediatur, ut caeci, surdi quidem qui etiam moraliter missae interesse censentur, si sunt in loco, unde alias censerentur posse videre vel audire celebrantem, si potentiarum usu ordinario gauderent. Assistentia Religiosa plus requirit, ut scilicet aliquis ad colendum Deum per modum orantis assistat, non tantum motu per honestum, gratia curiositatem, civile et politicum ministerium. Attentio triplex est. 1.ma ad res sacras, et ea quae sacerdos operatur aut recitat. 2. ad mysteria quae illis rebus et signis signantur. 3. Generalis ad Deum colendum, orandum, deprecandum. 1.ma bona est, 2.da melior, 3.tia communior et magis huic dispositioni accommoda. Et in hoc

omnib. virtuali attentio sufficit, q. excludit plane voluntarias distractiones et actiones cum actu religioso incompossibiles. Sub hac a. attentione comprehenditur intentione, ut minimum qui Missam audit intentionem saltem virtualem habeat illam audiendi seu Deum per assistentiam illam colendi. Vide quae diximus de Intent. Attentione et devotione requisita in horis canonicis.

Integritas, requirit ut audiatur Missa integra, nam qui partem Missae notabilem omittit peccat mortaliter. Quae v. censeatur materia gravis et notabilis aut levis, variant Auctores; ego levem materiam censeo quae est ab introitu ad Evangelium et a facta Communione ad finem; moveor primo quia in capite Omnes fideles etc. dicitur, ut qui conveniunt in solemnitatibus Sacris ad Eccl[esi]am, Scripturas Apostolorum et Evangelium audiant: deinde: non egrediantur ante perceptam Comm. 2. Quia Missa fidelium incipit ab Evangelio usque ad Evangelium inclusive in qua omnia Mysteria peraguntur. Unde videtur ista materia gravis et proxima his terminis continere quamvis per Scripturas Apostolorum determinate etiam intelligi possit Epistola, sed haec videtur etiam levis esse partia respectu totius complexi. Neque tamen necessario debet integra Missa audiri ab uno Sacerdote, sed licet audire successive duas partes duarum Missarum, quia eadem substantialiter fiunt in duabus Missis partialibus, ac in una integra

et qui duas partes successive audit totam in substantia Missam audisse censendus est. Dixi successive non simul eodem tempore, quia ab Innocentio XI. prohibita est haec sententia: Satisfacit praecepto Ecclesiae de audienda Missa, qui duas eius partes imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

Conclusio 2. Sufficit audire Missam quacunque et in quolibet loco extra privata Oratoria. Patet ex dictis, quia ex vi praecepti aliquis tantum obligatur Missam audire. Si quid de loco Parochiae interdum dicatur monitio est et salubre consilium, non praeceptum. Licet decens sit aliquoties Missam in propria Parochia audire. Dixi, extra privata Oratoria: quod licet etiam olim probabile fuerit, iam tamen pro improbabili habetur propter complures declarationes Pontificias teste Alphonso Tract. 5. de P. 2. q. 1. art. 1. §. 2. d. 2.

Conclusio 3. Ab auditione Missae excusant quatuor. Impotentia, Caritas, Officium, et Consuetudo. Explico. Impotentia alia est Corporalis ut si quis gravi morbo decumbat, carcere detineatur, mare navigat aut in locis degat ubi Sacerdotes non sunt. Alia spiritualis, ut si quis Excommunicatus vel interdictus fuerit. Alia denique moralis, ut si quis absque gravi detrimento vel iactura alicuius boni vel corporalis vel spiritualis ob periculum famae, dimi-

nutrionis honoris l. famae &c. denique ob alia difficulta aut laborem gravem Missam audire non potest.

Charitas excusat eos, qui tempore Missae debent inservire infirmis aut aliis quibuscunque, qui absque periculo soli relinqui non possunt, qui ad extinguendum incendium l. ad alia damna proximi avertenda, aut circa aliqua opera misericordiae corporalia l. spiritualia occupantur. Ac feminae quae ut alienae vitent peccata aut viri zelotypiam domi se continent. Fundatur autem hic titulus in concurrentia duorum praeceptorum, quorum unum iuris naturae, alterum iuris positivi est, inter quae praeferendum est praeceptum Iuris naturalis Charitatis ad proximum.

Officium excusat, quando alias honestum et licitum debite exerceri non potest. Sic excusantur milites in excubiis tempore missae stationes suas tenentes, pastores custodiam armentis et publico officio invigilantes, cursores Patres Matres et Nutrices parvulorum, elaborantes in officinis fusoriis, vitrariis, et famuli in actuali et necessario dominorum obsequio occupati; quodsi ex culpa dominorum impediantur, innocentes excusantur, peccant autem domini illos illegitime impedientes.

Consuetudo excusat personas, quae ex eo usu Nationis domi remanere solent, ut in aliquibus locis mulieres nobiles tempore luctus sive ceremoniae

funebris, maritorum, feminae post partum &c. Hinc revo-
cantur etiam privilegia l. qualitates quorundam statuum
Eremitarum scil. in locis desertis et ab hominibus
separatis, solitariorum, qui se in cellis quibusdam ve-
lut ergastulis et carceribus pro amore Dei inclu-
dunt; eo ipso n. quod Ecclesia tales status, modos
et exercitia austeritatis approbat aut tolerat, ab
auditione Missae excusat. Atque ad hos quatuor
titulos omnia impedimenta causaeque legitime ab
auditione Missae excusantes reducuntur.

§. 2dus

An praeter Missam alius specialis Dei cultus praecipiatur in Dominica.

Conclusio 1. Nemo tenetur in Dominica l. festis vi praecep-
ti Ecclesiae sub peccato ad audiendam concionem, ad
Vesperas aut alias Preces publicas. Ratio est
quia nullum de his obligationibus extat praeceptum.
Et licet alicubi videatur introducta consuetudo
vim tamen legis ad peccatum obligantis non habet,
sed tantum probatae pietatis, neque tamen male quibusdam
in locis lege civili prohibetur in tabernis tempore
concionis aut Vesperarum pocula misceri aut com-
potitores recipi. Unde in generali Concil. Trid.
Sess. 5. cap. 2. et sess. 24. cap. 4. promovent in
sensu quomodo sint accipienda, facto respectu
ad utilitatem doctrinae et obligationem Patris di-

vini naturalis differendi venia ad salutem.
Conclusio 2. Qui Missam non audit in die Dominica
tenetur alio speciali cultu Deum colere vi præ-
cepti divini primevi, non autem vi præcepti Cultus.
Probatur pars 1.ma Sanctificare ex mente Sanctorum
Patrum et ex speciali ratione primævi præcepti sig-
nificat aliquem cultum Deo debitum, qui consistit
vel in Dei laude, vel instructione pectoris sui
aut alterius, vel applicatione ad Dei cultum, non
sola cessatione ab operibus, Deus non colitur, nisi hæc
ipsa cessatio per quendam modum ad Deum referatur.
Probatur pars altera sicut superius de audiendis
vesperis vel Concione, quia non extat præceptum
Cultus de alio cultu in Dominica, præter au-
ditionem Missæ et cessationem ab operibus servilibus.
Remanet nihilominus obligatio aliqua saltem
cultu religioso Deum in Dominica colendi. Unde
licet eximatur aliquis ab audienda Missa non
eximitur ab aliis positivis cultu Dei operan-
dis juxta rationem loci et temporis.

§. 3.tius

De Operibus Servilibus.

Conclusio. Opera servilia in Dominica prohibita
illa censenda sunt quæ talia in Ecclesia aut Re-
publica communi sensu reputantur. Talia sunt opera ru-
ralia, fodere, arare et Artium mechanicarum

quae ad quotidianam necessitatem humanae vitae non referuntur, et commode differri vel praeveniri vel omnino relinqui possunt, ut sunt vestes conficere, suere, calceos facere, pileos formare, merces publice exponere, venationes clamosae et tumultuariae, forenses strepitus et iudicia, testium auditiones et iuramenta publica etc. ea vero, quae ad victum et dispositionem quotidianam corporis domusque huius requiruntur, etsi servilia sint et mechanica, non prohibentur, ut coquere cibos, lavare, et mundare domos, lectos sternere, iter agere equis, vehiculis, quae omnia ex usu et consuetudine locorum sunt diiudicanda.

Conclusio 2. A cessatione operum servilium excusant necessitas, charitas, officium, consuetudo legitima sive privilegium. Quemadmodum supra de auditione Missae explicavimus.

§. 4.

Quid censendum sit de diebus festis.

Conclusio. Festa eandem sortiuntur rationem in observantia sua cum dominicis exceptis tribus capitibus. 1.mo Dominicarum institutio in se et fundamentaliter est iuris divini naturalis ex Decalogo; festorum autem institutio et observantia est iure mere positivo humano et Ecclesiastico. 2. Ecclesia potest abolere festa

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg

et eorum observationem mutare pro libitu. Quia autem mutare aut abolere non potest. 3. In festis in quibus Missa non auditur non tenetur ad alium cultum positivum sicut in Dominica, quia Jure Canonico nullus aliquis cultus est impositus sub praecepto.

Qui in die festo aut Dominicis culpabiliter missam non audit aut in Dominica alio cultu Deum non colit peccat mortaliter. Peccat et ille qui aliquod opus prohibitum operatur sine legitima causa aut levitas materiae excusat. Sufficiunt autem secundum communem sententiam tres horae ad peccatum mortale etiamsi sint interruptae.

Incipiunt porro nunc Dominicae et Festa a media nocte usque ad aliam mediam noctem, licet olim a Vesperis ad Vesperas duraverint.

Sectio 4.ta

Praeceptum Decalogi 4.tum

Honora Patrem et Matrem

Etsi hoc praeceptum formaliter affirmativum sit, virtualiter tamen includit praeceptum negativum; praecipit enim honorem debitum parentibus qui consistit in amore, obedientia et reverentia: et prohibet quidquid his adversatur in affectu, opere et signo. De quibus in sequentibus §. agendum